3

Ignis in calore. uitali siquidem et in quadripertita humani corporis
ratio quatuor elementorum designat speciem. Qua ratione? Caput namque
ad celum refertur. In quo sunt duo oculi quasi duo luminaria sol et lune.
Pectus aeri coniungitur. quia sic inde emittit flatus. sic ex aere uentorum
spiritus. Venter autem mari adsimulatur. propter collectionem omnium humorum
quasi congregationem aquarum. Vestigia postremum terre comparantur.
eo quod sint ultima membrorum arida siue sicca sic et terra. Quid est homo?
Mancipium mortis transiens. uiator mundi hospes. Quomodo positus est
homo? Ut lucerna in uento. Quot modis uariabilis est homo? Vi
decibus. esurie. et saturitate. requie et labore. uigiliis et sono.
Est homo simplex an duplex? Homo autem duplex est interior
et exterior. Quomodo? Interior homo anima est. et exterior homo corpus.
Anima unde nomen accepit? A gentilibus enim anima nomen sumpsit.
eo quod uentus sit. Unde et grece uentus anemos dicitur. quod ore trahentes
aere uiuere uideamur. Sed apertissime falsum est. Qua ratione?
Quia multo prius gignitur anima quam concipi aer possit. quia iam
in genitricis utero uiuit. Videlicet non est aer anima quod putauerunt
quidam qui non potuerunt incorpoream eius cogitare naturam. Dicitur non sit idem sit
anima quod est spiritus. Spiritum idem esse quod et animam euangelista pronun-
tiat dicens de domino. Et inclinato capite emisit spiritum id est animam.
Quare dicta est anima? Anima enim dicta est propter quod uiuit. Quare
uocatur spiritus? Spiritus autem appellatur uel spiritali natura uel pro eo quod inspirit
in corpore. Inter animum et animam quid interest? Animus idem est quod
et anima. Sed anima uite est animus consilii. Mens unde uocatur?
Mens dicitur quod emineat in anima uel quod meminit. Natura unde
dicitur? Ab eo quod nasci aliquid faciat. Vita unde uocatur? Vita dicta est
propter uigorem. uel quod uim teneat. teneat nascendi atque crescendi.
Corpus unde dictum est? Dictum est enim corpus eo quod corruptum pereat. Solu-
bile enim atque mortale est et aliquando soluendum. Unde dicta est caro?
Caro autem a creando dicitur. Inter carnem et corpus quid interest? Caro enim
et corpus diuisa significant; In carne non semper corpus est nisi semper in corpore
caro.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 92.34, 3r – Excerpts on Grammar; Excerpts from Isidore, Etymologiae (https://fragmentarium.ms/view/page/F-zgqx/5285/50120)